

abiciatur. Indignum etenim est, ut hi, qui maiori potiuntur beneficio et honore, aliis in huiusmodi debeant comparari, qui eorum exemplo et eruditione ad honestatis formam per omnia sunt provocandi.

c. 10.

Pueros de incerto patre de quacumque coniunctione maris et femine natos sacerdotes nulla ratione propterea baptizare recusent. Quod si recusaverint et sine baptismi gratia mortui fuerint, ab omni sacerdotali officio deponantur. Mulieres quoque, que in puerperio antequam enixe fuerint moriuntur, nichilominus in cimiterio ecclesie sepeliantur, quia non vicium in culpa est set natura.

c. 11.

Matrimonia sacerdotum vel etiam laicorum, que sic contrahuntur, ut filii legitimi sint et ad paternas et maternas veniant hereditates, set liceat eis, quando voluerint ab uxoribus separari, per omnia prohibemus et anathematizamus, quia libellum repudii veteris legis a domino in novo testamento prohibitum¹⁾ denuo introducunt.

c. 12.

Sacerdotes ire ad forum vel nundinas gratia emendi²⁾ vilius et vendendi carius modis omnibus prohibemus. Sacri namque canones clericos²⁾ negotiatores ab ecclesiasticis officiis removendos esse precipiunt. Verum si pauperes fuerint, artificio³⁾ absque sui officii detrimento sibi³⁾ necessaria querant.

c. 13.

Episcopus qui alienum clericum sine litteris vel manifesto consensu proprii episcopi in ecclesia sua recipere vel ordinare presumpserit, ordinationem suam irritam esse cognoscat et ordinandi careat potestate.⁴⁾

¹⁾ Matth. 5, 31—32; 19, 7—9; Marc. 10, 4—5.

²⁾—²⁾ Dgl. c. 3 C. XIV q. 4 (= conc. Tarraconen. a. 516 c. 2, *hincius* 344).

³⁾—³⁾ Dgl. c. 3 D. 91 (= conc. Carthagin. IV a. 398 c. 52, *hincius* 305).

⁴⁾ Dgl. D. 71, 72.